



SERIES ALPHABETICA huius  
VOLUMINIS.

<b>A</b>	
De Actionum cessione . . . . .	952.
in successoris universales . . . . .	972.
necessaria . . . . .	986.
Alienatione . . . . .	686.
A. R. P. G. L. G. . . . .	123.
Assurance . . . . .	668. b.

<b>C</b>	
De Cambijs . . . . .	674.
Codicillis . . . . .	392.
Collatione . . . . .	271.
Comodato . . . . .	538.
Conductione . . . . .	612.
Conditionibus . . . . .	344.
Conubijs iure . . . . .	69. 75.
Constitutionibus P. P. . . . .	45.
Contradijs innominatis . . . . .	650.
Cessione actionum . . . . .	952. 972.
. . . . .	986.
Civitatibus mutuo . . . . .	500.

<b>D</b>	
De Decretis . . . . .	45.
Delegatione . . . . .	910.
Deposito . . . . .	550.
Denunciatioe litis . . . . .	636.
Divisionibus iuris . . . . .	i.
Domino . . . . .	123.

<b>E</b>	
De Errore . . . . .	778.
Evidentijs . . . . .	626.
Excussiois Except. . . . .	924.

<b>F</b>	
De Fide . . . . .	704.

<b>I</b>	
De Institutione Heredu . . . . .	309.
Inventario . . . . .	412.
Integri restitutione . . . . .	808.
iuris divisionibus . . . . .	i.
iure conubijs . . . . .	75.
restitutionis . . . . .	428.
retentionis . . . . .	884.
innominatis g. libis . . . . .	650.

<b>L</b>	
De Legitimatione . . . . .	83.
Legitima . . . . .	237.
Locatione . . . . .	612.
Legibus . . . . .	17.
Litis denunciatioe . . . . .	636.

<b>M</b>	
De Matera tutela . . . . .	98.
Metus. restitutione . . . . .	632.
Monopolis . . . . .	592.
Mutuo civitatis . . . . .	500.
Novatione . . . . .	896.
Optione . . . . .	381.



25

CHRISTOPHOR

Com.P.C.P

[Faint, mostly illegible text on a large rectangular piece of paper pasted onto the page]





# CHRISTOPHORUS PHILIPPUS RIGOLD.

Com. P. C. Prof. P. Facult. Jurid. Senior, & p. t. Decanus,

B. L. S.



Inter varios modos, quibus dominia rerum privatarum vel earum, quæ uniuscujusque propriæ sunt, tam jure naturali, quod appellatur *jus gentium*, quam jure civili, acquiri possunt. *l. 1. ff. de A. R. D. & §. singulorum. 11. Inst. de R. D.* non postremus est perceptio fructuum, non quidem in re propria, cum absque omni dubio Dominus rei suæ à seipso possessor quoslibet fructus indistinctè percipiat & lucretur. *l. solum. 49. §. 1. ff. de R. V. l. incivile. 12. C. cod. & l. qui scit. 25. in princ. ff. de usur. & fructib.* sed aliena, quam alter possidet; magno tamen cum discrimine, quod tam ex fructuum quam possessorum diversitate deduci & colligi potest. Fructus quod concernit, *dd. alios* constituunt naturales, alios civiles. Illos iterum dividunt in naturales in specie ita dictos, qui sc. principaliter vi & beneficio naturæ proveniunt, uti sunt poma, fenum, lac, pilus, lana, pecudum fetus &c. *§. in pecudum. 37. Inst. d. t. l. in pecudum. 28. & l. fructus. 45. ff. de usur. l. sequitur. 4. §. lana. 19. ff. de usurpat. & usucap. Et in industriales, qui principaliter hominis culturam & curam requirunt, uti sunt frumentum, vinum, oleum, d. l. fructus. 45. l. bona fidei. 40. in pr. ff. de A. R. D. Gilken. ad l. certum. 22. cap. 6. n. 19. & seq. C. de R. V. Civiles verò dicuntur, qui ex provisione hominis & conventionione partium percipiuntur, quales sunt usura, mercedes, aliq. redditus, qui vicem fructuum obtinent. *l. usura. 121. ff. de V. S. l. usura. 34. & l. prædiorum. 36. ff. de usur. l. ancillarum. 27. §. 1. & l. mercedes. 29. ff. de hered. petit.* Deinde fructus alii sunt adhuc pendentes vel stantes, qui terræ adhuc coherent, & pars fundi censentur. *l. fructus. 44. ff. de R. V. alii collecti, & à solo separati. l. si ejus. 78. ff. eod. l. qui scit. 25. §. in alieno. 1. ff. de usur.* qui etiam percepti dicuntur. *l. in edibus. 9. §. ex rebus. 1. ff. de donationib.* ad quos etiam referuntur percipiendi, quos possessor dolo vel culpa non percepit, cum tamen eos percipere potuisset. *l. si navis. 62. §. 1. ff. de R. V. l. cum servus. 39. §. 1. de legat. 1.* Porro fructus dividuntur in extantes, qui adhuc in bonis possessoris asservantur, quibus opponuntur consumpti *l. si pignore. 22. §. si prado. 2. ff. de pignorat. act. l. quesitum. 40. in fine. ff. de A. R. D. & d. l. certum. 22.* Et hæc de fructibus. Diversitas possessorum consistit in eo, quod alius dicitur bona, alius mala fidei. Ille, qui rem ab eo, quem vel Dominum esse, vel saltem rei alienandæ potestatem habere credidit, sine dolo est consecutus. *l. bona fidei. 109. ff. de V. S. l. sed & si. 25. §. scire. 6. ff. de hered. petit. & l. qui à quolibet. 27. ff. de contrah. empt.* Tamdiu igitur aliquis bonæ fidei possessor esse creditur, quamdiu se rem possidere alienam ignorat. Sicuti etiam in dubio quis pro tali præsumitur. *c. præsumitur. 47. de R. J. in 6. Harpprecht. ad §. si quis. 35. Inst. de R. D. n. 34.* Econtra malæ fidei possessor est, qui rei alienæ vel juris alieni notitiam habet. *l. qui fundum. 7. §. qui sciens. 5. ff. pro emptor. §. de iis. 4. vers. fructuarius, in verb. deinde quia scit, servum alienum esse. Inst. per quas perquisit. l. non solum. 33. §. quod vulgo. 1. ff. de usurp. & usucap. l. item veniunt. 20. §. petitam. 11. ff. de hered. petit. & l. si post mortem. 2. C. eod.* Hisce ita præmissis, quæritur, quosnam fructus vel bona vel mala fidei possessor acquirat, & quosnam teneatur vero Domino restituere? Missis jam variis opinionibus, putamus, bonæ fidei possessorem quidem teneri ad restitutionem fructuum extantium, sed universorum post litis contestationem, quia tunc bona fides expirat. *d. l. certum. 22.* Hinc teste Schneidew. ad d. §. si quis à non Domino. 35. n. 5. in fine, sententiæ in Collegiis Juridicis ita solent concipi: **Das Beklagte den libellirten Acker/ sambt Nuzungen und Früchten/ so er nach der Kriegsbefestigung aufgegeben und empfangen/ Klägern wiederumb einzuräumen/ zu restituiren und zu erstatten schuldig.** Exinde colligitur, quod bonæ fidei possessor, (cum quoad fructus loco Domini penè sit,) quamdiu bona fides durer, & fundus non evincatur, omnes fructus suos faciat. *l. bona fides. 48. in pr. ff. de A. R. D. l. qui scit. 25. §. ult. & l. in pecudum. 28. ff. de usur. Landrecht lib. 2. art. 44. vers. Wer aber ein Gut. Anton. Perez. in Cod. de R. V. n. 19.* eosque liberè consumere possit. *d. §. si quis à non Domino. 35. in verb. de fructibus ab eo consumptis agere non potest. l. quesitum. 40. ff. de A. R. D. d. l. sequitur. 4. §. lana. 19.* ita, ut fructus consumptos non teneatur restituere, licet ex eorum consumptione factus sit locupletior, utilitatè probat Harpprecht. *d. l. n. 66.* quem sequitur Perez. *d. l. n. 20.* ubi statuit, quod bonæ fidei possessor fructus consumptos propter bonam fidem, quam habuit, meritò retineat: at extantes propter bonam fidem amissam suo Domino, ex cujus fundo nati sunt, restituere debeat. Præfatam tamen assertionem *dd. limitant* in actione familiæ herciscundæ, & petitione hæreditatis. *l. item. 20. §. item non solum. 3. & l. illud. 40. §. prado. 1. ff. de hered. petit.* Et ita à Facultate Juridica Erphordienf. Jul. Ann. 1030. in causa Cyriaci Schwaben zu Sobeda) contra Martinum Stauden zu Jehna Prießnis/ pronunciatum fuit. Econtra Imp. Dioclet. & Maxim. Diodot. e in d. l. certum. 22. rescripserunt, malæ fidei possessorem omnes fructus cum ipsa re præstare teneri. Idem reperitur responsum fuisse in *l. fructus. 33. & l. si navis. 62. §. 1. ff. de R. V.* cujus decisionis ratio desumi potest ex *l. in fundo. 38. ibi: neg. malitiis indulgendum est. ff. de R. V. & l. si possessor. 52. ff. de hered. petit. Harpprecht. d. l. n. 93. & seqq.* ubi plures allegat textus & *dd. autoritates.* Eodem modo in Collegio nostro mens. April. Ann. 1633. ad requisitionem D. Z. P. responsum fuit: **Wann die Baumgärtner malæ fidei possessores sind: So werden die fructus percepti & percipiendi nicht unbillich von ihnen gefordert.** Et de hac difficili atq. perutili materia publicè disseret Vir Juvenis pietate, virtute, atq. juris scientia maxime conspicuus, Dn. JOHANNES CHRISTOPHORUS HEROLDT/ J. U. Candidatus eximius, cujus natalem & studiorum progressum paucis delineabimus. Natus autem est Halis Saxonum, A. O. R. M. DC. XXXI. mens. Octobr. Patre, Viro Amplissimo atq. Prudentissimo, Dn. CAROLO Herolden/ in ch. & Reipubl. patriæ Oratore solertissimo: Matre MARGARETHA, Viri Nobilissimi, Dn. GEBHARDI von Schönihens/ Salinatoris primarii, relicta filia, Femina genere & matronalibus virtutibus Ornatisima. Post præmaturū Parentis obitum, quo in ipsa orbatus fuit infantia, à pientissima matre, & Virrico honoratissimo, Viro Nobilissimo, Amplissimo, & Consultissimo, Dn. GEORGIO Hagen/ Dicasterii Hallensis hodie Seniore meritissimo, atq. Perillustrium Comitum à Mansfeld/ &c. Consiliario gravissimo, probè educatus, fidelique informationi Præceptorum tum privatorum, tum Gymnasii Patrii publicorum, præsertim Virorum Clarissimorum, Dn. Christiani Gueinzii, p. m. & Dn. Friderici Cahleni, Gymnasiarcharum, commissus fuit, à quibus etiam linguarum & disciplinarum Philosophicarum cognitionem accuratè hausit, seque & perorando & disputando ita exercuit, ut ante quinquennium cum fructu Generale nostrum studium accedere potuerit, & SS. Jurisprudentiæ hucusque operam dederit assiduam. Et quod laude atque commemoratione maxime dignum censemus, non solum publicis lectionibus, sed etiam septem diversis Collegiis Juridicis, partim lectoris, partim disputatoris, sc. Institutionum, Regularum Juris, Pandectarum, & Juris Feudalis, à Viris Magnifico, Nobilissimis, Amplissimis, atq. Consultissimis, Dn. Erasmo Ungepawrn, Ordinario, Dn. Georgio Adamo Struven/ & Dn. Ernesto Friderico Schrötern/ Jctis & Antecessoribus celeberrimis, Consiliariis Saxonie, Curia Provincialis, Facultatis Juridicæ, & Scabinatus Adsectoribus excellentissimis, Dnn. Collegis, Compatribus, respectivè Genero, & Amicis meis honoratissimis, in gratiam Studiosa Juventutis adaptatis & reiteratis, sedulo interfuit, atque Exercitationem ultimam de Judiciio feudali, sub prælaudati Dn. D. Struvens patrocinio, nec non Disputationem elegantem de Ratificatione proprio Marte elaboratam sub præsidio Dn. D. Schröteri publicè defendit. Quibus absolutis in patriam reverti coactus fuit, ubi ad usum transferre voluit, quæ in nostra LL. nutrice comparavit, operamque suam in foro & judiciis impendit. Ur autem benè continuatam studiorum telam magis pertexeret, præterito anno Lipsiam se contulit, ubi non minori attentione lectiones & exercitationes publicas frequentavit, & in primis privata quoad theoriam & praxin usus est institutione Viri Magnifici Amplissimi, atq. Consultissimi, Dn. Quirini Schachers/ Phil. & J. U. D. celebratissimi, Prof. P. Consiliarii Elect. Saxon. ab Appellat. Consistoriiq. Eccles. Adsectoris, & Facultatis Jurid. Senioris meritissimi, cum Hieronymi Trentleri Disputationes illustraret, & velitationibus privatis subiceret. Tandem svasu & consilio Parentis Optimi, aliorumq. Patronorum, iterum ad nos venit, atque laborum exantlatorum præmium, comparatæque præclaræ eruditionis testimonium modestè petiit. Admissus itaque ad primum scrutinium, quod alias tentamen vocant, suam utriusque juris scientiam ita nobis probavit, ut ad reliqua ipecimina juxta Facultatis nostræ statuta edenda licentiam ipsi sine ulla mora concesserimus. Explicabit autem prædictam l. certum. 22. initium facturum ad diem crastinum horâ X. in Jctorum Auditorio. Vestram itaque, Divæ Themidis Cultores lectissimi, frequentiam, assiduamque in auscultando operam iterum expetimus, qui vicissim & honorum & commodorum vestrorum erimus studiosissimi. B. V. P. P. Jena sub Collegii Juridici Sigillo, IV. Febr. Anno M. DC. LV.*

Typis JOHANNIS NISII.

Viri magnifici, Margaretha, Viri Nobilissimi, Dn. Gebhardi von Schönihens, Consiliarii gravissimi, probè educatus, fidelique informationi Præceptorum tum privatorum, tum Gymnasii Patrii publicorum, præsertim Virorum Clarissimorum, Dn. Christiani Gueinzii, p. m. & Dn. Friderici Cahleni, Gymnasiarcharum, commissus fuit, à quibus etiam linguarum & disciplinarum Philosophicarum cognitionem accuratè hausit, seque & perorando & disputando ita exercuit, ut ante quinquennium cum fructu Generale nostrum studium accedere potuerit, & SS. Jurisprudentiæ hucusque operam dederit assiduam.



CHRISTOPHORUS WILHELMUS  
1694

Com. Christoph. Wilhelm. Sec. Dec. Dec. Dec.

*[Extremely faint text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is illegible due to its low contrast.]*

HANNOVER  
1694





U E R / D.

ro



00 A 6343


ULB Halle 3  
002 928 566




1. Rubre ✓ VD 17











STOPHOR  
Com.P.C.P

